

quidem propria virtute exercebunt iudicium, sed Christi sententiam approbabit, *Sap 5, 19. Matth. 13. 49 cap. 19, 28.*

8. Forma complectitur i. Iudicii præparationem, scilicet Christus in throno collocabitur, & videbitur in visibili nube, *Matth. 19, 28.* Omnes homines ad ejus tribunal congregabuntur, *2 Cor. 5, 10.* Congregati discernentur, statuti cum ad dextram, tum sinistram, *Matth. 25, 32. 33.* 2. Iudicii administrationem, ita nempe, ut causa cognoscatur, cognita decidatur, decisa pronuncietur, *Ite, Venite, illud impiis, hoc vero piis, 1. Cor. 4, 5. Matth. 25, 34. 41. 46.* erit ibi veritas in inquisitione, & severitas in executione. Nemo poterit hujus iudicis potestatem effugere sapientiam fallere, ad æquitatem flectere, iudicium retractare, ait Chrysoftomus, *Comm. ad Matth. 25.*

9. Materia novissimi iudicii sunt Angeli mali, *1. Cor. 6. 3. 2. Pet. 2, 4.* & homines, pii simul & impii, *Matth. 25, 32. seq. 2. Cor. 5, 10.* sed ita: Pii revera sistentur quidem, sed non venient in iudicium condemnationis, *Job. 3.* licet absolutionis, *Rom. 8.* Impii vero sentient iudicis iram.

10. Finis i. principalis est Dei & Christi gloria, ut nimirum manifestetur Dei veritas, justitia, benignitas, majestas, potentia, *2. Tbess. 1, 6. 7. seq. 1. Cor. 15, 24.* 2. Secundarius est præmiorum ex gratia pro piis, & poenarum pro impiis eorumque meritis distributio, *Malach. 4, 12. 13. Luc. 21, 28. Matth. 25, 34. 41 seq.*

ii. Adjuncta Extremi iudicii sunt duo: (1.) Tempus, quod exactè defini non potest, unde ab ejus curiosa investigatione & scrupulatione abstinendum est, quomodo etiam monemur, *Act. 1, 7.* semper tamen in nostris auribus prestrepit horribilis illa tuba: surgite mortui, venite ad iudicium, dicente Hieronymo. Interim ex conjecturis non vanissimis colligere licet, diem novissimum haud procul abesse. Nam 1. decrevit Monarchia quarta Romanorum, & Turcarum potentia ad summum evehitur, *Dan. 2. 7.* 2. Antichristus jam revelatus est, *2. Tbess. 2.* 3. Dies, ab angelo præfiniti, jam vere elapsi sunt, *Dan. 12.* 4. Sex mille annos fermè complevit mundus, sex diebus creatus, unde insequetur Sabbathum perpetuum. (2.) Locus, qui nullibi in Sacris exactè determinatus est, unde per consequentias agentes Theologi, alii aerem, alii terram definiunt. Non sapimus extra scripturam, sed submittimus nos ipsi, *1. Tb. 4. Luc. 21*

12. Signa